Quoniam ea que a Regibus et [a]liis principibus instituuntur scripto firmantur ne temporis diuturnitate obliuioni tradantur. Idcirco ego ALDEFONSUS dei gratia Rex castelle et toleti. una cum uxore mea alienor Regina quia uos promptissimos et fideles in seruiciis meis inueni facio cartam libertatis absolutionis et stabilitatis uobis toti toletano concilio presenti et futuro imperpetuum ualituram. Dono ita omnibus toleti et totius terminj sui militibus presentibus ac futuris quod de omnibus hereditatibus suis quas habuerint in toleto aut in aliqua parte terminj sui ut decetero habuerint nullam decimam nec forum aliquod Regi nec domino terre nec alicui alij umquam persoluant. Et quicumque de manibus eorum hereditates ipsorum coluerint de fructibus inde perceptis nullam decimam tribuant. Sed predicti milites cum omnibus hereditatibus suis liberi et inmunes ab omni regali alioque grauamine et exactione per secula cuncta permaneant. Siquis uero huius mee institutionis paginam in aliquo infringere uel diminuere presumpserit. iram dei omnipotentis plenarie incurrat. et cum iuda domini proditore suppliciis infernalibus mancipetur. et insuper Regie parti. decem milia aureorum in cauto persoluat. et dampnum quod toletanis militibus uel alicui eorum intulerit. duplatum restituat. Facta carta apud toletum. Era. M. CC. XX. pridie Kalendas octobris. Anno sexto ex quo serenissimus Rex prefatus ALDEFONSUS concham fidei xpiane uiriliter subiugauit. Anno secundo ex quo infantaticum a Rege ferrando patruo suo acquisiuit. Et ego Rex ALDEFONSUS regnans in castella et toleto. hanc cartam quam fieri mandaui. manu propria roboro et confirmo. Gundisaluus toletane ecclesie electus. confirmat.

Raimundus palentinus episcopus	confirmat		Petrus roderici de azagra	confirmat
Martinus burgensis episcopus	confirmat		Didacus ximenis	confirmat
Sancius abulensis episcopus	confirmat		Petrus ferrandi	confirmat
Ardericus segontinus episcopus	confirmat		Petrus garsie	confirmat
Gundisaluus secobiensis episcopus	confirmat		Aluarus roderici de massella	confirmat
Michael oxomensis episcopus	confirmat		Ordonius garsie	confirmat
Comes Petrus	confirmat		Petrus roderici de guzman	confirmat
Comes Ferrandus	confirmat		Lupus de mena	confirmat
Comes Gunzaluus	confirmat		Lop diaz merinus regis in castella	confirmat

Magister Geraldus Regis notarius scripsit.